

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

10 September 1999

\*\*\*\*\*  
Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.  
\*\*\*\*\*

1. From the *accessus* to a verse life of St. Francis

Historiam beatissimi patris Francisci Christi signiferi et Levitae, prodigiosis virtutum insigniis admirandam, plures virtutis et scientiae viri, devotione ad Sanctum et gestorum excellentia provocati, scribere curaverunt. Plenius tamen veritate comperta, vir Deo devotus mundoque scientia et religione spectabilis, frater Bonaventura, Ordinis Minorum Generalis Minister, prius excellens in theologia magister Parisius, postmodum sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Episcopus, cuius doctrina et scriptis universalis iam illustratur Ecclesia, historicum totius vitae decursum prosaico et authentico nimirum sermone contexit, dignis Sancti praeconiis dignum Deo providente praeconem. Sed vitam hanc, praeter adiecta quaedam ex dictis maxime Cardinalis eiusdem, quibus innovata perficitur, metro cudisse, praesule quodam instante, magistrum ferunt Henricum, profundae, ut stilo claret, scientiae virum. Qui multa silet ab aliis posita et quaedam tangit ommissa, sicut in Evangelio quod unus Evangelista non ponit alius exprimit. Opus autem suum patri sanctissimo domino Gregorio papae Nono tamquam dignissimo dedicat.

2. Lambert of Ardres on the piety of Count Baldwin of Guines

Balduinus igitur Ghisnensis comes, ut nostri nichil ei desit officii, oculis ac manibus in celum semper intentus, circa ecclesias aut circa religiosorum monasteria totum suspendit animum pernoxque in orationibus, in vigiliis et ieiuniis, et in caritate non ficta et in elemosinarum distributionibus totus desudavit et devotus. Prosperatus igitur in lege Domini, temporibus messis fructum iusticie percipere cepit in tempore suo. Unde et de die in diem virtutum insignis titulo, divino, ut dignum erat, afflatus spiritu, magis celestia quam terrena capescebat desideria; inter cetera tamen pietatis opera se felicem et Deo proximum fore arbitrans et existimans, si infra terram suam ecclesiam Dei fabricare et virorum Dei habitacula construere et edificare in vita sua sufficeret. Ad huius ergo desiderii et voti Deo cari et devoti excitationem et perfectionem dominus Deus, suorum non immemor ubique famulantium, occasionem obtulit et pie devotionis exacuit stimulum et affectus accendit incrementum.

### 3. Aelred of Rievaulx: The beginnings of his reflections on friendship

Cum adhuc puer essem in scholis, et sociorum meorum me gratia plurimum delectaret, et inter mores et uitia quibus aetas illa periclitari solet, totam se mea mens dedit affectui, et deuouit amori; ita ut nihil mihi dulcius, nihil iucundius, nihil utilius quam amari et amare uideretur. Itaque inter diuersos amores et amicitias fluctuans, rapiebatur animus huc atque illuc et uerae amicitiae legem ignorans, eius saepe similitudine fallebatur. Tandem aliquando mihi uenit in manus, liber ille quem de amicitia Tullius scripsit; qui statim mihi et sententiarum grauitate utilis, et eloquentiae suauitate dulcis apparebat. Et licet nec ad illud amicitiae genus me uiderem idoneum, gratulabar tamen quamdam me amicitiae formulam reperisse, ad quam amorum meorum et affectionum ualerem reuocare discursus. Cum uero placuit bono Domino meo corrigere deuium, relicta spe saeculi, ingressus sum monasterium. Et statim legendis sacris litteris operam dedi. Igitur cum sacra Scriptura dulcesceret, et parum illud scientiae quod mihi mundus tradiderat, earum comparatione uilresceret, occurrebant animo quae de amicitia in praefato libello legeram, et iam mirabar quod non mihi more solito sapiebant.

### 4. John Scotus: that God's foreknowledge is entirely beyond human language

Iam nunc textus principalis quaestionis exigit nos considerare utrum proprie an abusiue in sacris litteris et sanctae scripturae et sanctorum patrum dicatur deus praesciisse uel praedestinasse siue omnem uniuersitatem quam ipse condidit substantialiter, siue quicquid administrationis diuinae temporaliter apparet in illa, in his uidelicet quae ipse facit, non quae fieri sinit. Vbi primo notandum, quoniam nihil digne de deo dicitur, omnia paene siue nominum siue uerborum aliarumque orationis partium signa proprie de deo dici non posse. Quomodo enim signa sensibilia, id est corporibus adhaerentia, remotam illam omni sensu corporeo naturam ad liquidum significare possent, quae uix purgatissima mente attingitur omnem transcendens intellectum? Eis tamen utitur humanae ratiocinationis post peccatum primi hominis laboriosa egestas, ut quodammodo credatur et innuatur copiosa conditoris sublimitas. Amplius si omnia uocum signa secundum naturam non sunt, sed ex complacito hominum inuenta, quid mirum si non ad illam naturam quae sola uere dicitur esse sufficiant exprimendam?